

contractorum, placitatum exstitit in hunc modum: Quod quicumque nostrum, scilicet Dominus Ericus nunc rex Daciæ præmissus, vel Nos, prius matrimonium consummaret contractu, rite suas nuptias celebrando, quantacunque donatione propter nuptias suam uxorem honoraret, ad tantam donationem ille nostrum qui subsequenter suas nuptias celebraret, suæ uxori teneretur assignare. Nos igitur eandem Consortem nostram dilectam omni honore et dilectionis privilegio, quo poterimus prosequi cupientes, ut tenemur, sibi totam Fiedrundiam cum suis obventionibus et redditus dedimus et assignavimus, pleno jure perpetuo possidendam, ratione donationis propter nuptias supra dictæ, una cum villa forensi Enecopia, in eadem terra sita, conditione servata eadem et consimili, qua donatio Sorori nostræ prædictæ, ab ipso Rege Daciæ fuerit assignata. Si vero præmissi redditus de prædicta terra et villa Enecopensi provenientes, quo minus valuerint seu minores fuerint, quam quod præclarus princeps Dominus Ericus, rex Danorum prædictus Sorori nostræ dignoscitur contulisse, Nos de bonis nostris aliis defectum hujusmodi, in locis ipsi Uxori nostræ aptioribus et utilioribus, ita supplebimus, quod eadem donatio nostra tanta sit penitus in redditibus, quanta donatio facta ipsi Sorori nostræ per Dominum Regem Daciæ supradictum. Datum anno Domini MCCC. die Pentecostes.

1318.

1300 d. 30 Maj \*).

Stockholm.

Konung BIRGERS Bref till Höfvidsmannen i Finland Nils Andersson, med tillstånd för några hemmansägare, att fortfarande få till odling begagna skogarne i Tavastland.

- K. i. 188.

BERGERUS Dei gratia Swenorum Gothorumqve Rex, discreto viro Domino Nicolao Andersson Præfecto Finlandiæ, salutem in Domino sempiternam. Accedentes ad nos præsentibus exhibitores Michael de Lappafærd, Andar de Sastamell et Tobbe de Tenka nobis sua propositione de sylvis in Tawastia querulosa monstrarunt, quod secundum quorundam prædiorum culturam de quibus sylvis in Tawastia quas ex speciali concessione et licentia Domini Haraldidi quondam ibidem advocati nostri hactenus excoluerant, nunc ut asserunt molestantur et impetuntur nimis injuste. Qvare cum Fratri carissimo Duci Waldemaro mage proficuum esse dinoscitur quod terra sua per homines discretos ydoneos excolatur et inhabitetur qvam deserta relinqvitur, volumus et mandamus itaqve, qvatenus super præmissis homines prædictos a

\*) Skulle kunna vara 1303 den 1 Juni.

*Sv. Diplom. II.*

modo nullatenus molestare velitis, sed potius ipsos terram per eos cultam pacifice et quiete de cætero sicut hactenus habere permittatis, dummodo non obstiterit aliquid, quod adhuc intelligere non potuimus de prædiis supradictis.

Datum Stockholm Anno Domini MCCC. III. Kalend. Junii.

1319.

1300 d. 17 Juni.

SIGMUND KELDORSSONS och PHILIP BJÖRNSSONS Stadfästelse å deras faders, Björn Sångares gåfva af 5 öresland jord i Grytby och Olafsta till sin tjenarinna Christina eller hennes son Ingevald, för trogen tjenst.

A. 6. a. 3.

Omnibus presentes litteras inspecturis SIGMUNDUS KÆLDORSSON et PHILIPPUS BJORNSSON salutem in omnium saluatore Quia dilectus pater noster bero quondam dictus sangari memorie recolende famule sue dilecte Cristine seu filio suo Ingualdo racione sui fidelis seruicii pariter et laboris legauit quinque horas terre in villis que dicuntur grýtby et olafstæ situatas Tenore presencium constare volumus omnibus euidenter quod nos donacionem predictam nominate Christine suisque heredibus factam legaliter in presencia discretorum virorum videlicet domini Michaelis vlfson domini Johannis de tælghium Morchari de alsno ac aliorum fide dignorum ratam gratam firmam fecimus et acceptam ac irreuocabiliter stabilitam In cuius rei testimonium presentes litteras siggillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum anno domini .M°.CCC°. In die beati botulfi.

Två Sigill bortfallna, remsorna kvar.

1320.

1300 d. 29 Juni.

Linköping.

Abboten i Nydala GERMUNDS Bref om afståendet af en del af den klostret förlänta Biskopstonden af Östra härad i Njudinge och Östbo härad, mot befrielse från skyldigheten, att under Adventet i klostret underhålla ett visst antal personer och hästar åt Biskopen.

A. 2.

Vniuersis christi fidelibus ad quos presentes littere peruenerint, Frater GERMUNDUS dictus abbas, Totusque Conuentus Noue uallis Cýsterciensis ordinis Lincopensis dyocesis, salutem in domino sempiternam. Cum omnium habere memoriam et in nullo peccare, non humane, sed potius angelice sit virtutis, jdcirco ne res gestas jn tempore propter labilem hominum memoriam, et mutabilem quorundam voluntatem abolere valeat processus temporis longioris, Cautum est, vt eas conseruet perhennis viuacitas litterarum, Hinc est,